

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 73

DECANDRIA TRIGYNIA.

17

elongatis, erectis; increscente fructu ovatus, scariosus, costis triginta prominentibus, scabriusculis, viridibus. *Petalorum unguis* latiusculi, albi; *laminæ* semibifidae, lobis rotundatis; *appendiculis* emarginatis, obtusis. *Stamina* vix exserta. *Germen* ellipticum, *receptaculo* proprio elevatum. *Styli* staminibus breviores, *stigmatibus* obtusis. *Capsula* ovata, pedicellata, punctis elevatis undique scabra, calyce persistenti arcè vestita, semitricularis; apice sexdentata. *Semina* reniformia, corrugata, plumbea. Auctorum icones ligno incisæ, Lobelio duce, petala quaterna, nec quina, malè omninò exhibent. *S. conoidea* differt *foliis* latioribus, glabris; nec non *calyce* fructus magis ventricosò.

- |   |                       |
|---|-----------------------|
| a. Calyx floris.                                    | b. Petalum.           |
| c. Stamina et pistillum, calyce petalisque avulsis. | d. Pistillum seorsim. |
| e. Capsula, receptaculo proprio elevata.            | f. F. Semen.          |

TABULA 424.

SILENE LEUCOPHÆA.

*SILENE* petalis bipartitis angustatis; appendiculo bifido, calyce decangulari, foliis lineari-oblongis recurvis glutinosis.

In insulâ Cypro. ☉.

*Radix* cylindraceo-fusififormis, gracilis, annua. *Herba* undique densè pilosa, viscida, saturatè virens, inamœna; pilis horizontalitèr patentibus. *Caules* solitarii vel plures, erecto-patentes, vix spithamæi, undique ramosi, teretes, foliosi; supernè dichotomi, multiflori. *Folia* recurvato-patentia, lineari-oblonga, obtusiuscula, subrevoluta, uninervia; basi membranacea, connata. *Pedunculi* solitarii, erecti, hirsuti, uniflori. *Calyx* obovato-cylindraceus, scariosus, costis decem elevatis, hirtis, e viridi rubicundis; dentibus quinque, obtusiusculis, margine membranaceis. *Petalorum unguis* dilatati, ochroleuci; *laminæ* bipartitæ, laciniis lineari-obovatis, suprâ ochroleucis, subtùs sanguineo-venosis, fusciscentibus; *appendiculis* bipartitis, obtusis. *Stamina* quinque longiora, exserta; quinque breviora, subinclusa. *Germen* ovatum, longitudine *receptaculi* proprii. *Styli* staminibus longioribus breviores. *Capsula* ovata, longiùs pedicellata, glaberrima, nitida, duodecim-costata, sexdentata. *Semina* reniformia, fusca.

- |  |                                 |
|--|---------------------------------|
| a. Calyx.  | b, b. Petala.                   |
| c. Stamina cum pistillo, receptaculo proprio imposita. | d. Pistillum absque staminibus. |

VOL. V.

F